



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

Capvt IV. Vniuersum Monstris ornari, Pygmæis, & Gigantibus, ac enormiter
fortibus ostenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

4. Reg. 2.
23.

quòd malam effugerint caluam. Quis non
 ridiculam putaret talem irrisionem? Sed
 vide, quanti eam fecerit, Deus: cùm Eli-
 faus in Bethel ascenderet per viam, pueri
 parui egressi sunt de ciuitate, & illudebant ei
 dicentes: Ascende calue, ascende calue. Qui
 cùm respexisset, vidit eos, & maledixit eis
 in nomine Domini: egressiq; sunt duo ursi de
 saltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta
 duos pueros. Quòd si caluitium vitio ver-
 tere adeò est graue, quantum malum erit,
 irridere alterius monstrositatem misera-
 tione longè digniorem? à qua exploden-
 da satis nos deberet terrere, quòd im-
 pium sit, Dei opus contemnere.

CAPVT IV.

Vniuersum Monstris ònari, in Pygmæis
 & Gigantibus ac enormiter fortibus
 ostenditur.

§. I.

Rebus monstrosis, tanquam oppositis, res non
 monstrosas magis elucescere.



E quis autem existimet, DEO
 causas non esse, tales vel defe-
 ctus, vel effectus naturæ Mundo
 infe.

inferendi, reperit D. Augustinus, & Dionysius Carthusianus quamdam in ipsa monstrorum deformitate, venustatem. Siquidem contraria se mutuò commendant, faciuntq; gratiora. Quemadmodū ergo gratiam lucis extollit obscuritas noctis; & morbi ostendunt beneficium sanitatis; umbræq; & atrii colores picturæ augment amantatē; dum eminentiora quæque distinguunt, & differentiâ colorum, alternâ vice, se se excitante, opposita iuxta se posita clariùs elucescunt; ita & ea, quæ fœda sunt, dum res pulchras cōmendant, faciunt ad decorem atque elegantiam vniuersitatis. Qui scenicis spectaculis volunt delectare, non tantum Gratias, sed etiam Furias, & cum aulicis rusticos in theatra inducunt. Et mulieres interpoles, vt facie candida esse videantur, nigrâ taniâ collum inumbrant. Ad eundem modum etiam Mundus iste visibilis non formosarum modò, sed etiam deformiter exorbitantium rerum, velut intermedijs, exornatur. Nam, præter varietatem, etiam habent ista deformia elegantium commendationem. Eò pulchriora sunt prata, quò pictiora, ipsa florum herbularumque diuer-

S. Augustin. l. 16, de ciuit. c. 8. Dionys. Carthuf. lib. de venustate Mūdi. c. 9.

diuersitate gratiam conciliante. Quin & raritas quoq; habet leporem; & animum admiratione percellit, quidquid est inusitatum. Vnde, sicut in picturis, ita in creaturis monstrorum parerga conciliant ornamentum.

§. II.

Pygmaos ipsa deformitate sua esse gratiosos.

Igitur esto, non censeatur in se pulcher Pygmaeus, qui *pede non est altior uno*; neque venustus putetur, qui Polyphemus, (quippe nemo cupit de Myrmidonum esse, aut numero gigantum; notariq; se putant, qui, per iocum, vel *Longini, vel frustum hominis, aut Abbreniati, Grylline* nuncupantur) nihilominus tamen hæc ipsa vniuscuiusq; deformitas, hic excessus, aut defectus vsque adeò fecit ad ornatum vniuersi; vt in Principum aulis, pumili, instar simiorum, in oblectationem alantur; & *gigantem* circumducere multis sit lucrosum. Vt enim fatietas fastidium, sic raritas parit delectationem. *In Agypto*, inquit Nicephorus, *natus est homo infra incredibilem statura breuitatem consistens, sub Theodosio: ac talem quoque, nostra atate vidi ipse.*

Niceph.
l. 12, c. 37.

ipse, pro monstro habitum, quem brevis admodum statura mulier in lucem edidit. Aegyptius tam brevis fuit, ut perdici similis esset. Neque ingratum spectaculum erat, si cum illo globus hominum conuersaretur, & ad contentionem excitatus colluderet. Porro, quod mirabile dictu est, prudentia ei inerat, qualis homini formoso competit; quippe cui corporis exilitas ea de re nihil ademisset. Vox à Musis non abhorrebat: sermo mentis generositatem spectandam exhibebat. Non vixit ad annos viginti quinq;. Ita tunc Deus, vel de homuncione homines rapuit in admirationem. Quod & nostra ætate præsignis ingenij & artis calchographus Callot, in monstrifissimè gibbosorum masculorum imaginibus fecit: quos incredibili lepore, cum fesquipedali naso, cum promontorio ventris, & curvitate pedum, in cœnaculis, in atrijs, in porticibus, in hortis magnates depingi iubent; & aspiciunt aduenæ cum voluptate. Potest ergò etiam in deformitate, ac in rebus minimis ars ornatuque maximus existere. Sicut autem ad sapientem architectum pertinet, non tantum firmam, sed etiam pulchram domum extruere; ita spectat ad vniuersi condico-

rem, Mundum, quem potentia sua produxit, sapientia variatum condecorare. Hæc supellex est tantæ domus: immò isti sunt minorum gentium inquilini; qui plerumque quò sunt corpore depressiores, eò mascula bile se se magis, supra ceteros mortales, extollunt. Siquidem paruum vas citò ebullit. Ceterùm quæ pusillorum hominum sint commoda, Gueuarra lepidè recensuit, mihi propositum est, Dei opera defendere; non dare istis occasionem superbiendi; aut iocando ludere.

§. III.

Procerus miles à pumilo, per crudelem iocum, iussus trucidari.

Laurent. Barbarè eiusmodi hominum aliquem, **Sur. Cō-** ad oblectationem suam, adhibuit, Pesto **ment rer.** in Hungaria recepto, Solimannus, qui **in orbe** maximis usus itineribus in Pannoniam perue- **gestar.** nit, adductosq; ad se Christianos captiuos cir- **An. 1541.** citer octingentos, paucis demtis, crudeliter trucidari iussit. Erat in ijs proceræ stature Noricus miles, hunc in Germanorum contemptum iussit pumilioni, vix militis eius genus capite attingenti, necandum tradi. Erat hoc fœdissimum spectaculum, virum fortissimum, imbecilla nani manu, per risum & iocum, cre-
bris

bris ictibus humi prosterni, & agrè tandem,
pra virium imbecillitate, ingulari. Huius-
modi spectaculo immaniſſimi Turcarum Prin-
cipes sese suauiter oblectabant. Et hic quidem
Solimannus id sibi iucundum esse ostende-
bat, vt magnum parui faceret, paruum
magni aestimaret.

§. IV.

Pumilorum gratiosa paruitas.

Alij humanioribus modis oblectatio-
nem è pusillis his ceperunt. Cardanus re-
fert, pumilionem, virum perfecta ætate,
cubiti longitudine in psittaci cauea, in Ita-
lia fuisse ostentatum. Curiosè spectatam
puellam, nouem annorum, & à se quoque
spectatam scribit Albertus, quæ magni-
tudine vnus anni videretur. M. Antonius
quoque ad pompæ ornatum Sisyphum pu-
milionem, intra bipedalem staturam, in-
genio viuacem fertur habuisse. Augustus
autem adolescentulum honestè natum bi-
pedali minorem, Lucium nomine, scribi-
tur spectaculis exhibuisse. Canopas certè
in delicijs fuit Iuliæ neptis Augusti, duos
pedes & palmum longus. Cuiusmodi eti-
am fuisse aiunt Andromedam Iuliæ Au-
gustæ libertam. Quin hi tam parui adeò

Cardan.
de subtili
lib. de
Hom. ne-
cess. &
forma.
Idem
Card. lib.
8. de va-
riet. rer.
c. 43.

Plin. l. 7.
c. 16.

sæpe magni æstimati sunt, vt etiam mortui in ipsis sandapilis spectarentur. Siquidem Manius Maximus & M. Tullius equites Romani, qui binûm cubitorum fuere, Varrone teste, defuncti adibantur, eosque se in loculis asseruatos vidisse testatur Plinius.

Ibidem.

Et, vt idem memorat, fuerunt semipede maiores sub Augusto Pusio & Secundilla, quorum corpora miraculi gratiâ asseruata sunt in conditorio Sallustianorû hortorum. Cur hæc non mirarentur homines, cum Deus sæpe mirabilior sit in paruis, quàm magnis? tot enim motuum, & sensuum, & cogitationum organa in exiguum includere corpus, est maioris operæ, si res ipsa spectetur, quàm in grandem quamdam capacitatem. Quod videre est etiam in rebus artefactis: vt si quis Illidem totam in nucem condat, vel sub mu-

Plin. l. 15.
nat. hist.
c. 14.

scæ ala quadrigam. Deniq; vel Ethnicus docuit, *nihil tam paruum esse, quod non gloriam parere possit.*

§. V.

Paruitas corporis, qua in nostra potestate non est, tamen utilis est, & aliquibus nomen fecit.

Quin sæpe etiam ipsa vel paruitas, vel defor-

deformitas parit vtilitatem. Asinius Gal-
lus, Drusi frater vterinus, vt de eo ex Dio-
ne accepimus, etsi Claudio Augusto insi-
diatus esset, non tamen extremo supplicio,
sed exilio tantum multatus est; ideò, quia
nec ad suum facinus exercitum paraue-
rat, neque pecuniam contraxerat: item,
quòd statura minima ac summa deformati-
tate velut monstruosus despiceretur, ridicu-
lusque magis quam metuendus esse vide-
retur Rideantur sanè monstra, dummodo
rideantur ad incolumitatem. Huic Asinio
contemptus profuit, periisset, nisi fuisset
monstruosus. Alijs quid obfuit staturæ bre-
uitas? quam tollere non fuit in illorū po-
testate. *Quis vestrum*, ait Seruator, *cogi-
tans potest ad staturam suam cubitum
vnum?* At ipsa breuitas nonnullis nomen
fecit. Refert enim Michaël Ritius, Pipi-
num, qui Childerico rege fugato, ex Au-
strasia migrans prætorij præfectus creatus
est, tam breuem corpore fuisse, vt *pusilli* co-
gnomen illi inditum sit. Quòd si verò exi-
guitas staturæ alijs non nomen, tamen
gratiam dedit, vt Menestrati apud Lucil-
lium in Græcis Epigrammatis; & Faustulo
apud Ausonium, qui ita in eum lusit:

I 3

Faustulus

Dion.
lib. 60.

Matth. 6.
27.

Michael
Ritius l. 12
de Fran-
cor. reg.

*Fanstulus insidens formica, ut magno
elephanto*

*Decidit, & terra terga supina de-
dit.*

*Moxq₃ idem ad mortem est multatus
calcibus eius,*

*Perditus ut posset vix retinere
animam,*

*Vix tamen est fatus: Quid rides impro-
be linor,*

*Quòd cecidi? cecidit non aliter
Phaëthon.*

§. VI.

Deum per paruos magna patrasse.

Quàm multi nihil haberent, quod inter confabulandum loquerentur, nisi in masculos dicta dicerent? nisi eorum utilitates dipulo differrent, & nescio quas non instituerent comparationes? Nimirum existimant, eos qui parua nôrunt tangere, optimos esse iaculatores. Aliter iudicauit Christus, qui, postquam interrogauerunt discipuli: *Quis, putas, maior est in regno cœlorum? aduocans paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Qui-
cumq₃

Matth.
18. 2.

cumq; ergo humiliaverit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno calorum. Et qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizauerit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Scilicet quæ oculis apparent magna, miratur mundus. Deus autem intuetur cor. Non enim, ait, cogitationes meæ cogitationes vestræ: neq; via vestra via meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur celi à terra, sic exaltate sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Hinc, quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non gloriatur omnis caro in conspectu eius. Manifestè hoc mundo est demonstratum, in pugna & victoria Dauidis, contra vastum illum & gloriosum militē, gigantea superbia incedentem. Quanta, hinc, ô Superi, moles stetit corporis! cuius longitudinem aiunt sex cubitorum cum palmo fuisse. Cubitus autem, si rationem Græcorum sequamur, duos pedes habuit,

Isa. 55. 8.

1. Cor. 1.
27.

1. Reg. 17.

sin Latinorum, sesquipedem. Hæc se car-
nea moles lorica textit quinque millium
siclorum ponderis: lanceam autem instar
iugi textorij, & in hasta ferrum seu cuspi-
dem sexcentorū siclorum habuit. Quam
Martius fuit iste gigas? quam ferreus ho-
mo! quam clamosus & iactabundus Poly-
phemus? quam minax terror? quam ve-
teranus bellator? quantis viribus hastam
intorquebat? quantis passibus terram tre-
mefecit? quam metuendis vocibus terri-
tauit astra? At inde obuiam venit huic
Herculi inermis ouium pastorculus, ini-
doneus armis gestandis, solo baculo, lapi-
dibus, & funda armatus. Hunc rufum
adolefcentem contempsit Philisthæus. Sed
mox sensit, vter fortior esset; humi deie-
ctus, capite amputato, & in triumphum
portato. Ita nimirum in maius superbi
illius gigantis dedecus cedebat, imbelli
adolefcentis manu cecidisse. Ita res diui-
nis potiùs, quàm humanis viribus aseri-
bebatur. Quid non dictum, quid non can-
tatum, quid non factum, qui non erecti
arcus triumphales, qui non applausus,
quæ non acclamations excitatæ fuissent,
si Saul rex sua ipse manu hunc gigantem
prostra-

prostrauisset? Nunc autem palàm agnatum est, *in nomine Domini* cæsum exprobratorem, fugatos hostes, victoriam obtentam fuisse. Et maior est gloria, per paruum posse patrare magna. Hoc pacto, etiam posterioribus sæculis, Edgarus Britannorum rex statura pusillus, Rinardum Scotorum regem staturæ paruitatem sibi exprobrantem ad singulare certamen prouocans, ei ostendit, virtute se, non forte electum regnare. Et Iouius in vita Baiazetis I. refert, à Galeacio Gonzaga, statura admodum pusillo, itidem singulari certamine, superatum esse Caroli VI. regis mareschalcum Bucicaldum Gallum, hominẽ gigantææ magnitudinis; qui eapropter voto se obstrinxit, arma se amplius non induturum.

Fulgos.
l. 3. c. 7.

§. VII.

Num totæ sint, in terris, Pygmaeorum nationes?

Tam magnus cùm sit in paruis Deus, laudandus est etiam ab illis terræ Indiæ partibus, in quibus *Spithamæi Pygmæi* narrantur, ternas *Spithamas* longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes, salubri celo, semperq; vernante, montibus ab Aquilone op-

Plin. l. 7^o
c. 2. nat.
hist.

I 5

positis:

positis: quos à gruibus infestari Homerus quoque prodidit. Fama est, insidentes arietum caprarumque dorsis armatos sagittis, veris tempore, vniuerso agmine ad mare descendere, & oua pullosque earum alitum consumere: ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti. Casas eorum luto pennisque, & ouorum putaminibus construi. Scholiastes in tertium Iliados scribit eos in extrema parte Ægypti, Aristoteles in Æthiopiæ regione Troglodytica habitare, subireque cauernas, & ob eam causam Troglodytas vocari, fabulamque esse negat, quod vulgò de statura eorum deque pugna cum gruibus fertur. Homerus & Strabo Æthiopiæ illis partem tribuunt, Mela Arabiam. Quod quidam tradunt, eorum mulieres quinto anno parere, senescere octauo, vel, teste Alberto Magno, triennio gignere, octennes mori, vt adeò breuitas vitæ breuitati staturæ respondeat, fabulam olet, cum nos quinquaginta & sexaginta annorum pumilos spithamæos viderimus, qui etsi non probant esse certam similitum masculorum & femellarum nationem; saltem euincunt, talem esse posse. Quæ si est, à Deo est ad Mundi ornatum varietatemque facta. Siqui-

Aristot.
lib. 8 de
hist. ani-
mal c. 12.
Vide Lu-
d. ou. Vi-
nem in
lib 16
S. Aug de
civit. c. 8.
Mela. l. 3.
c. 4.

Albert.
Mag. l. 7.
animal.
tract. 1.
c. 6.

Siquidem unus est Creator omnipotens, & Eccli. 1. 8
rex potens, & metnendus nimis, qui sapien-
tiam suam effudit super omnia opera sua, &
super omnem carnem, secundum datum suum.
Igitur, quicumque vis sapere, Iustifica pusil- Eccli. 5. 18
lum & magnum similiter. Magna sunt cæli
decora sol & luna, sed minùs ornata esset
illa domus beatorum, si non etiam mino-
ribus ignibus vndique exsplendesceret.

§. VIII.

Gigantèa statura homines curiosorum vo-
luptas.

Hic ornatus enormi etiam proceritate
perficitur: adeò vt à satrapis multis, iti-
dem inter exquisita, gigantes ingenti pro-
digalitate alantur. Omitto ceteros, infra
inserendos, hîc sufficiet Maximilianus Ce. Surlus in
sar, qui, An. 1511. vt loquitur Surlus, Còment.
comitia indixit, apud Augustam, vbi illi obla- An. 1511.
tus est vir quidam prodigiosa vastitatis & cras-
situdinis, atq; incredibilis ingluuiei: ita vt in-
tegrum vitulum crudum, vel ouem incoctam
vnà deuoraret; & tamen necdum famem ex-
pletam diceret. Ferunt hominem Borealibus
regionibus ortum fuisse, vbi, ob locorum frigo-
ra, solent homines esse edaciores. Similem re- Zonarae
fert Zonaras mulierem Thracem, sub Iu- in Iustis
stino no.

Solin. c. 4.
& cap. 25.
De maiore
re puella
vide Vin-
cent. l. 31.
c. 125.

Tho. Faz.
dec. 1. l. 1.
c. 6. & dec.
2, lib. 1.
cap de re-
bus Sicu-
lis.

S. Augu-
stin. l. 15.
de ciuit.
c. 9.

A. Gell.
l. 1. Noct.
cap. 1.

stino extitisse. Ad elegantiam aulae, & curiositatem conuenarum hi gigantes erant; uti & ille, (si fabulosus non est) qui à Solino dicitur repertus *cubitorum trium atque triginta*: & illi *Indiae populi*, qui adeò proceri sunt, ut *Elephantos velut equos facillimè insultatione transfiliant*. Ut autem ea præteream, quæ Thomas Fazelli *ἀυτόπλης* scribit, de gigantibus eorumque origine, quàm multa stupendæ magnitudinis ossa in Sicilia reperta sint; neque ea huc reponam, quæ ex Philostrato alijsq; solent recenseri de gigantis cuiusdam cadauere, quod duodecim, & alterius quod viginti duorum, & tertij quod triginta cubitorum fuisse fertur, enormitatis itidem prope modum fidem superantis: certè D. Augustinus testatur, se vidisse, in littore Vticensi molarem gigantis dentem, adeò magnū, ut dissectus ad formam & magnitudinem vſitatorum nostra ætate dentium centuplo maior potuerit iudicari. Quare utiq; & gigas ille, cuius dens tantus est repertus, centuplo maior fuit quàm homines, nostra ætate, vſitati. Si enim Pythagoras, *comprehensa mensura Herculanæ pedis, quanta longinquitas corporis ei mensura conueniret,*

vet, secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam, modificatus est: atque ita id colligit, quod erat consequens; tantò fuisse Herculem corpore excelsiorem, quam alios, quantò Olympium stadium ceteris pari numero factis anteiret: cur non, eadem proportionis ratione habita, ita in modulanda status longitudinisque giganteæ præstantia fas esset ratiocinari? Plinius profectò ait, in Creta, dum terræ motu quidam mons disrumperetur, cadaver quadraginta sex cubitorum stans fuisse reperi- tum, quod alij Orionis, alij Otij fuisse cre- diderunt. Orestis etiam corpus, oraculi iussu refossam, cubitorum septem fuisse, historici tradunt. *Iam verò ante annos prope mille, ait idem Plinius, vates ille Home- rus non cessavit minora corpora mortalium, quam prisca conqueri. Neuij Pollionis ampli- tudinem annales non tradunt. Sed quia populi concursu panè interemptus esset, prodigij vice habitum. Tantæ fuit, videre prodigiosè procerum, voluptatis.*

§. IX.

Gigantes esse terribiles.

Alij præter hos gigantes, sunt etiam ad utilitatem. Talem, ut paulò prius indica- uimus,

Plin. l. 7.
nat. hist.
c. 16.

1. Reg. 17.

4.

uimus, Goliath Israëlitis Philisthæi opposuerunt, qui stans clamabat aduersum Phalangas Israel, & dicebat eis: Numquid ego non sum Philisthæus? Perterruit hæc vox, & ista viri armis, velut ferreo quodam monte, tecti vastitas, tota castra, quæ putabant se Stentorem audire, aut Polyphemum, immò Enceladum aliquem intueri. Audiens enim Saul & omnes Iraelitæ sermones Philisthæi huiuscemodi, stupebant & metuebant nimis. Ita metuendus erat olim Pallas Euandri filius, cuius cadauer ingentis magnitudinis, magnum habens vulnus in pectore, Romæ, tempore Henrici III. Imp. An. 1057. repertum est. Ita se se etiam metuendas exhibent vmbra defunctorum: quæ quia longæ, vt plurimum solent hominibus comparere, Hebræis occasionem dederunt, vt illis, velut prouerbij loco, idem esset, apud Gigantes, quod est, apud mortuos. Hinc Prou. 21. 16. legimus: *Vir, qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur: Vbi cœtus gigantum, est cœtus mortuorum, sicut & Prou. 2. 18. vbi habet vulgatus textus: Ad inferos semite ipsius: alij ex Hebræo vertunt: Ad gigantes. Aiunt enim ex Glossario Philonis, dictio-*

ditionem *Raphaim* gigantes sonare. Terribile ergò quiddam est gigas, si vel proceritas aspiciatur; ne dum si vires exerat. In litteris Indicis, quibus Sinarum res complexus est, memorat Melchior Nugnez Societatis nostræ Sacerdos; in Paquin, vrbe regia, portarum custodes quindecim pedes esse altos, giganteæ vtique proceritatis. Enimuerò testatur idem author, alijs litteris, An. 1555. regem Sinarum quingentos eiusmodi gigantes alere corporis sui custodes. Quapropter vsque adeò non sine caussa creati sunt enormiter magni homines, vt non modò ex raritate pariant intuentibus delectationē, sed etiam grande, apud grandes, emolumentum largiantur. Quale & ab illo promanauit, qui à S. Maclouio ad vitam reuocatus, & baptismo tinctus mira de alterius vitæ statu aperuit. Sed hoc emolumentum naturam superauit, & alteri vitæ profuit.

§. X.

Voluptas, & utilitas pariter de Galezio, & Anothero giganteæ fortitudinis viris percepta.

Alij gigantes viribus corporis vtilis pariter atque mirabiles extiterunt, in quorum

rum

Cl. Marius Aretius in Sicilia Chorographia. Tho. Fazell. lib. 3. cap. 1. de reb. Sicul. decad. prior.

rum numerum meritò veniunt illi, qui, si non sunt veri gigantes, fortitudinis tamen sunt giganteæ. Galetium, siue Galeotum (Cl. Marius Aretius Galeotum nominat) Bardasimum Catanensem Patrium memorat Thomas Fazellus, singularibus naturæ incrementis euectum, admirabili corporis magnitudine eò proceritatis excreuisse, vt communem hominum staturam, verticesq; omnium non iam vt Saul, sed, vt Atlas quidam cælum sustentaturus, humeris superaret. Huius robustis lacertis ac teretibus membris, vniuersaq; corporis magnitudini par virium robur habitusq; adeò respondebant, vt tota eius compago, exactissimo naturæ ingenio exculta elaborataque esse videretur. In vno hoc homine, multa erant spectacula. Nam, præter excelsi corporis eminentiam, etiam alia eminebant. Nemo erat illo hastæ lapidumque iactibus prior; nemo lanceâ fortior; nemo saltu expeditior. Equo ac pede bellator acerrimus. Neque illi situs, quò minùs fortitudinis suæ experimenta ederet, officere potuit. Armatura enim ponderosa oneratus galeatusque humi stans, sinistra ephippium, dextera hastam

stam militarem tenens strenuo saltu in equum insiliebat. Vultis aliquid amplius? Asinum præterea magna lignorum congerie, siue quacumque aliâ sarcinâ grauem, manibus è terra in altum extollebat. Duos insuper è robustissimis simul aggrediebatur, dumque alterum attrectaret, alterum genibus compressum vrgebat, neque antè desistebat, quàm priùs hunc, deinde illum pedibus subijciendo amborum manus post terga vinciret. Hæc ab hoc accipiebatur oculorum voluptas, ad quam accessit etiam vtilitas. Cùm Plumbinum Florentinorum, eo tempore, oppidum ab Alfonso Aragoniæ & Siciliae rege obsideretur, à tribus hostium equitibus petitus erat Galetius: ille, vt ostenderet, membrorum robori animi quoq; decus adesse, vnum ex eis gladij capulo seminecem equo excussit; alterum citato equo medium amplexus, ephippio extractum humi prostrauit; tertium vel cubito percussum in fugam conuertit. Idem singulari certamine quater duellans, bis in Italia, bis in Gallia Transalpina, toties victor euasit. Addit Aretius, eum *ad gigantis staturam accessisse, humaniq; corporis nostra ætatis vires excessisse;*

K

& tan

Auentin.
lib. 4.

Judic. 5. 7.

1. Reg. 9. 2.

Monteu.
pag. 250.

& tanti fuisse roboris, vt equum, sine fræno, incitatissimè currentem, transuersam trabem amplexus, coxis cruribusque ventrem eius constringens sisteret. Quod etiam de Carolo Gonzaga inter nostri temporis heroes legimus. Talis erat & Ænotherus gigas ex Durgia Sueuiæ pago oriundus, qui, vt scribit Auentinus, sub Carolo Magno militauit. Is manu tam strenuus erat, & robore tam firmus, vt hostes in modum fœni demetere, & in morem auicularum hastâ velut cuspide fixos suspendere soleret. Quanta vis est in talibus, tanta calamitas est, si dici possit: *Cessauerunt fortes in Israël.* Phryges, non Phrygiæ, in bello, exiguntur, & qui tela, non telas tractare didicerunt. Saul in regem eligendus, *ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Sub imperio magni Can regnum est, in quo moris est, eum eligere in regem, cui sunt prolixissimi vngues, vt scribit Monteuillanus. Putant enim magnos vngues indolis aquilinæ, & fortitudinis esse argumentum.

§. XI.

E Gigantibus, vt ex omnibus alijs magnis rebus, Dei gloriam magis elucere.

Acce.

Accedit ad hanc utilitatem, quòd è grandibus his diuina quoque gloria grandescat. Famæ causa, *moles excogitatas videmus statuarum, quas colossos vocant, turribus pares*. Præcipuæ autem magnitudinis & laudis fuerunt, apud Rhodios, apud quos maximè celebratus est is, qui Soli sacer est habitus. Vt ab imaginis suæ enormitate maiestatem sibi faceret, ipse Nero colosseû se pingi iussit. In Ægypto structuræ ex quadratis lapidibus admirandæ, & ultra omnem excelsum, quæ manu fieri posset, fastigiatæ fuerunt, pyramides dictæ, sub quibus reges sepeliri voluerunt, ut magnos ibi sitos esse, tumulorum ostenderet magnitudo. Et palatia alta quid aliud loquuntur, quàm à magnis ea dominis fuisse ædificata? Est autem & homo quoddam *adificium*, ut Hebræi loquuntur. Laudabilis est igitur in magnis corporibus hominum Plasmator, & quidem magis, quàm in pueris colostratis, aut viris euiratis. Ut enim in cælo maior quædam dignitas apparet, quàm in terra, quæ est instar puncti cælo comparata; ita quoque viri grandes atq; fortes aliquid dignitate plenius præ se ferunt, quàm pumili, qui tantum fru-

Plin. lib. 34. hist. nat. c. 7.

Idem lib. 36. §.

stum esse, aut punctum hominis videntur. Et si enim etiam in paruis magnus sit Deus, ut diximus, & Zachæus *statura pusillus* animo fuerit excelso, tamen oculi mortales rebus magnis magis implentur, quibus aspectis, pronissimum est dicere: *Magna opera Domini*. Rarò audiuntur homines staturæ procerioris optare, ut sint breuiiores; breuiiores autem id sæpissimè optant, ut sint longiores. Sed quia nemo nostrum cogitando potest adycere ad *staturã suam cubitum unum*, calceus subere altissimo subutus debet implere, quod pedi deest; ut quæ natura breuem fecit, sutor faciat longiorem.

§. XII.

In Samsone, meliore Hercule, quanta decora donaq; Dei conspecta sint?

Psal. 144. Quoniam igitur *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*, etiam magna quædam vel corpora, vel robora voluit esse in Mundo. Idcirco, Gen. 6. 4. ante diluuium *gigantes erant super terram*, Deuter. 2. & post cataclismum laudati sunt *Emim, populus magnus, & validus, & tam excelsus, ut de Enacim stirpe, quasi gigantes crederentur*. 2. Reg. 21. *Og quoque rex Basan de stirpe gigante*

tunc

rum dicitur fuisse, vti & Saph, & aliorum
gigantum sæpe fit, in diuinis litteris men-
tio. Sed mihi ante omnes memorandus est
Samson, si non statura, saltem viribus gi-
gas, qui, vt D. Augustinus ait, *Hebraorum*
judex, cum mirabiliter fortis esset, putatus
est Hercules. Et, teste Philastrio, *Pagani for-*
tes viros ex Samsonis figura usurpantes, Her-
cules nuncuparunt. Ac sanè multa inter
Samsonem atq; Herculem conueniebant,
tempus, locus, vires, labores & æumnæ.
Eodem vtrumq; sæculo vixisse innuit Euse-
bius, cuius hæc sunt: *Mihi videtur Hercules*
& Samson non multum inter se distare tempo-
re: siquidem ambo circa Troiæ captiuitatem
fuerunt. Et D. Augustinus: *His tempori-*
bis Hercules in Tyria, alias Syria, clarus ha-
bebatur. Eodem ferè vtrumque loco cele-
brem fuisse Cicero docet & Herodotus,
apud quos Hercules à Tyrijs & Palæsthinis
colebatur; Tyrijs autem & Philisthinis lu-
dæa, in qua Samson floruit, contermina
erat. Competunt & vires, & labores, &
æumnæ, & ipsæ picturæ. Hercules fertur
in prima jam ætate, adeò fuisse robustus,
vt vel in cunis duos angues, arctato guttu-
re, eliserit. De Samsonе scribitur: *Crenit*

S Augu-
stin. l. 18.
ciu. c. 19.
Philastr.
lib de
Hæres.
cap. 8.

Euseb.
Præfat. in
Chron.

S. August.
lib. 18. de
ciuit. c. 12.

Cic lib 3.
de Nat.
Deor.
Herodot.
l. 1.

Iud. 13. 24

puer, & benedixit ei Dominus, coepitq; Spiritus Domini esse cum eo. Quia heroica animi & corporis fortitudine eum donauit. Hercules fingitur adamantinas inferorū portas effregisse, vt inde Cerberum catenis vinctum in auras extraheret: Samson ab hostibus obsessus apprehendit ambas portarum fores cum postibus suis & sera, impositasq; humeris suis portauit ad verticem montis, qui respicit Hebron. Hercules etsi apud Omphalem seruijt, & effeminatus est, robur tamen corporis non perdidit, sed Cacus, & Nessus, aliaq; monstra etiam effeminatus interfecit. Samson, etsi Gazæ meretricatus mortaliter peccauit, tamen retinuit suam fortitudinem supernaturalem, quam impositas humeris vr̄bis portas in montē tulit. Siquidem fortitudo hæc erat gratia gratis data, non gratū faciens. Quare vnā cum peccato mortali poterat consistere. Sita enim erat in eius Nazaræatu, id est, in coma intonsa ac abstinentia à vino & sicera. Cū ergo fornicatio non sustulerit eius Nazaræatum, neq; fortitudinem eius tolli necesse fuit. Hercules non gladio, non hasta, sed claua armatus, Samson itidem neque ense, neq; lancea, sed asini maxilla,

xilla, qua tamquam claua mille Philisthæos maectauit, instructus pingitur. Vterque leonis domitor, leonis exuuias meritus est; ille tamen victori suo pellem, iste dapem dedit. Tametsi autem Hercules Nemeæum illum, & Mænalium alterum terribiles ambos, Samson tantum *catulum leonis* dicatur occidisse; nihil id adimit eius viribus, quia catuli leonum ob maiorem famem, & iuuenilem animositatem sunt grandibus sauiiores. *Leoni præcipua generositas, tunc, cum colla armosq; vestiunt iuba,* ait Plinius. Herculem nouerca Iuno, Samsonem dolosa Dalila, illa odio, hæc ficto amore agitauit. Hercules Centaurum, Hydram, ceruam æripedem, Harpyias, seu Stymphalides aues, aliaq; monstra superauit; Samson Afcalonitarum, Gazæorum, Philisthinorumq; aliorum impetum fregit. Hercules in monte Oeta mortem vltro suscepit; suscepit & Samson. Ac, ne Abyle & Calpe Herculis quoque columnæ in Occidente positæ deessent, Samson *apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramq; earum dextera, & alteram laua tenens* ait: *Moriatur anima mea cum Philisthym, concussisq; fortiter columnis, cecidit domus su-*

Plin. I. 8.
c. 16.

Iudic. 16.
28.

K 4 per

S. August.
l. 1. de ci-
uit. c. 21.

1. Mach.
cap. 46.

per omnes principes, & ceteram multitudinē,
qua ibi erat: multoq; plures interfecit mori-
ens, quam antè viuus occiderat. Qua in re
fortior fuit Hercule, qui se ipsum occidens
peccauit, non peccauit autem Samson,
quia, vt S. Augustinus respondet, occidit
se Dei instinctu: Spiritus, inquit, latenter
hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat,
adeoq; hinc preces eius exaudivit, & pristinā for-
titudinem ad id faciendū restituit. Cū er-
go Deus vires illi ad hanc ruinam faciendā
supernaturaliter suppeditârit, credibile
est, Samsonem, tamquam publicum popu-
li sui iudicem vindicemque, priuatam ex-
cæcationis suæ vltionem, etiam ad Dei ho-
norem, & Reipublicæ bonum retulisse.
Non ergo peccauit tunc Samson, quia co-
lumnas domûs suæ concussit, vt eius ruina
insignem suis Deiq; hostibus cladem infer-
ret, laudesq; Idolo Dagon à Philisthæis, ob
se captum attributas adimeret, Deoq; vero
restitueret. Non itaque propriè & Physi-
cè se occidit, vt; Ajax, qui in gladium in-
cubuit, aut sicut Hercules, qui in rogum
sponte se coniecit, sed permisit se dun-
taxat communi cum hostibus ruina oppri-
mi, sicut postea Eleazar, qui regium ele-
phantem

phantem subiens occidit, eiusque ruentis mole obrui se permisit, vt populum liberaret. Quamobrem neq; morali etiam imputatione se ipsum occidit, quippe directè destinauit occidere omnes principes Philistinorum, vnaq; magnam populi hostilis partem (tria enim millia, oppressa sunt) se verò ipsum indirectè & permissiuè duntaxat voluit eadem clade inuolui, quam euadere non potuit. Quod facinus, sicut heroicæ fortitudinis fuit, ita & magna pro præteritis culpis erat pœna & satisfactio. *Non eligitur, inquit Caietanus, in huiusmodi casibus mors propria in se ipsa, sed per se eligitur mors hostium, & concomitans propria mors toleranda admittitur, propter bonum ultionis. Sic princeps exercitus prostraturus hostes, mortem propriam concomitantem non respuit. Neque milites se se morti in acie exponentes dicuntur se ipsos, sed hostem velle occidere. Sine vlllo igitur conscientia scrupulo in campum prodire possunt præliaturi; immò cum magna fortitudinis gloria pedem conferunt. Qua de caussa D. Ambrosius de Samsonè ita loquitur. Etsi incomparabilis in hac vita fuerit, tamen in morte se ipsum vicit, & insuperabilem*

Ita Franc.
Victoria
Relect. 10
de Homicid. Dom.
Soto lib.
2. de Iust.
q. 9. art.
7. Leon.
Less. l. 2.
de Iustit.
c. 9. dub.
6. num. 33.

S. Ambr.
ep. 70.

K 5

gestit

gestit animum, ut contemneret, & quasi pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidolosum. Virtutis igitur fuit, quòd victoriarum numero diem clausit, nec captiuum exitum, sed triumphalem inuenit. Denique non telis, sed cadaueribus hostium pressus humatus est, proprio tectus triumpho. Si ergò virtus militis, gloria est ducis; si Solis claritas est claritas conditoris, rectissimè Deus & in Hercule, si quis vniuersum fuit, laudatur, & in Samlone. Nam & nomen vtriusq; in hoc consentit. Quemadmodum enim apud profanos scriptores Hercules symbolum Solis extitit; ita vicissim apud sacræ linguæ authores *Samson* idem est, quod *sol lætitiæ*, vel quod *paruus sol*. Reuera *Herculem* solem esse, ait Macrobius, vel ex nomine claret. *Hercules* enim quid aliud est, nisi *heras*, id est, *aëris cleos*? Quæ porrò alia *aëris gloria* est, nisi *solis illuminatio*; cuius recessu profunditate occultitur tenebrarum? Præterea sacrarum administrationes apud *Ægyptios* multiplici actu multiplicem Dei asserunt potestatem, significantes, *Herculem* hunc esse. Hinc illis duodecim labores Herculis, sunt duodecim Zodaici signa, per quæ sol quotannis currit tamquam fortissimus Hercules, immò

Macrobius.
l. 1. Saturnus.
c. 20.

immò tamquam quidam gigas. Vnde Dauid, vbi ostendit à cælis gloriam Dei enarrari, solem, atque inde Numinis claritatem se se hominibus patefacientem ita describit: *In sole posuit tabernaculum suum: & ipse* Psal. 18.6.
tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo celo egressio eius: Et occursum eius usq; ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius. Samsoni nascenti mater diuina inspiratione edocta nomē imposuit, D. S Chryf. hom. 18. in Ioan.
Chrysofomo teste; significat enim *Samson*, solem vt dixi, *latitie*, vel *gandij*, itemque *paruum solem*; quem Deus oriri fecit Israelitis, per Philistinos oppressis, & in tenebris tristitiæ sedentibus, vt eos noua luce libertatis & felicitatis perfunderet. Meritò ergo hunc Samsonem Paulus etiam Hebr. 11. 32.
inter veteris testamenti heroes collocans, à fide, & fortitudine laudauit. Quem secutus S. Ambrosius ait: *Cum diuturna iniuria longe subiectionis ita essent depressa Hebraeorum pectora, vt nullus virili ingenio ad libertatem animos tollere auderet, ortus est illis Samson diuino oraculo predestinatus, magnus vir, nec in pluribus numerandus, sed in paucis prestantissimus, & quod sine vlla controuersa sit,*

fit, viribus corporis omnium primus; eoque ingenti admiratione nobis spectandus à principio; non illa quæ temperantia & sobrietatis iam inde à pueritia vini abstemius præclara insignia dedit; nec illa, quæ intonso capite Nazareus sacra diu seruauit custodia; sed ab adolescentia, quæ in alijs ætas mollior, in hoc egregia atque supra humanum modum perfecta virtutis stupenda facinora effecit, quibus diuini oraculi mox aperuit fidem, quod non perfunctoriè tantæ eum anteisset gratia, ut descenderet Angelus per quem ortus eius præter spem parentibus annunciaretur, futuri regimen & presidium suis. Nam grauius iam diu Palestinorū imperijs afflictabantur. Adcò non solum magnæ virtutis, sed etiam magnæ fuit utilitatis Samson, qui solus in medio campo pluribus centurijs præstabat: quàmquam is utique miraculum potius, quàm monstrum fuit; & si in gestis tam mirabilibus non erat monstruosus, erat tamen prodigiosus. Appositè igitur, hoc loco, est commemoratus, tametsi eius fortitudo non in gigantea corporis mole, sed in capillis sita erat. Nec enim hîc confugere volo ad fabulas Hebræorum, apud quos Rabbi Simeon Hacchafid audet dicere, Samsonem

R. Simon
Haccha
fid in Su-
ta. cap. 1.

sonem

sonem non solum fuisse gigantem, sed etiam gigantem tam enormem, ut illi numquam parem viderit Mundus. Scribit enim humeros eius tam fuisse latos, ut unus ab altero *sexaginta cubitis* distaret. Quod mendacium *sexaginta cubitis* distat à veritate.

§. XIII.

Quos Poëta finxerint monstrosa fortitudinis viros? Et de Cleomede.

Itaq; quod diuinus codex in Samsone, id profani scriptores in Hercule ostendere voluerunt, & in alijs quoq; fabulis, quas de viris fortibus excogitauerant; quos finxere gigantes, vel monstris viribus homines fuisse; ut de Sigonotho, Goffredo dentato, Amadiso eiusq; fratribus, de Orlando, Rugierio, Rodomonte, Sigfrido corneo, Wolfardo, Ilfungo monacho, & mille alijs. Virgilius certè Turnum induxit, qui è terra saxum adeò ingens sustulerit, atque in Æneam vibrârit, ut

Vix illud lecti bis sex ceruice subirent, Virgil.
Qualia nunc hominum producit corpora tellus. lib. 12.
Æneidæ

Nihil hîc dicam de Aloeo, Encelado, Tityo, Orione, Atlante, Antæo, Briareo, Gyge,

Virgil.
lib. 1.
Georg.

Gyge, Oromedonte; omittam Astneuti,
Ephialtem, & quos *partu terra nefando*
Cæumq; Iapetumq; creat, sænumq; Ty-
phoea,
& reliquos *Titanas ausos rumpere imperium*
Ionis,

Plutarch.
in vit. Ro-
muli. Cri-
nit. lib. 15.
cap. 3.

veris hoc argumentum historijs potest ab-
solui: & vel in illa sola Samsonis robur ex-
primitur, quam Plutarchus & Crinitus
referunt, de Cleomede Astypalæo, qui
Lacchum Epidamnium pugilem, armatū
vnico ictu inermis occidit, occisi latera
aperuit, & iniecta manu eduxit intestina.
Ob quam feritatem, cū à iudicibus in
ius vocaretur, per forum abiens, colum-
nam, qua ludi litterarij domus fulcieba-
tur, dissecit, eaque ruina pueros omnes
adobruit. Quis hunc non dicat alterum
Samsonem?

§. XIV.

Alij prodigiosarum virium viri, Tritanus, &
Georgius Castriotus.

Testatur Solinus, Varronem in relatio-
ne prodigiosæ fortitudinis annotasse, Tri-
tanum Samnitem gladiatorem natura fuis-
se, qui & rectis, & transuersis neruis, non
modò crate pectoris, sed & manibus can-
cellatis

cellatis & brachijs omnes aduersarios leui tactu, ac panè securis congressibus vicerit, eiusque filium militem Cn. Pompeij pari modo natū, ita spreuisse hostem prouocantem, vt inermi eum dextera & superaret, & captum digito vno in castra Imperatoris sui reportaret. Et quoniam sermo nobis est de ijs, qui *fortes facti sunt in bello*, non tacebo hīc Georgium Castriotum, partis Albaniae Principem, quem Turci propter rerum gestarum magnitudinem Ischenderbegum, hoc est, Dominum Alexandrum nominauerunt. Alexandria enim hodie Turcis *Ischendrie* est. Hunc Ischenderbegum Paulus Iouius affirmat, numquā detrectasse pugnam; numquā hosti terga vertisse; nullo vnquam in discrimine metu occupatum; numquam vulneratum, nisi leui semel sagitta in crure fuisse, cū tamen contra duos potentissimos imperatores Turcicos, Amurathem & Machometem, perpetua bella gesserit, & non solū eorum impetus sustinuerit, sed septem eorum clarissimos duces è purpuratorum Bassarum ordine acie deuicerit, & castris exuerit. Hunc Castriotum, addit Iouius, supra duo hominum, vel, vt Barletius

Hebr. ii.

Leonclauius in pandectis Turcicis.

Paul. Iou. in elogijs illustr. virorum.

tius

tius scribit, tria millia barbarorum; præfertim diuersis prælijs, sua manu interfecisse, quando singulis tantum ictibus singulos, qui congressi essent, conficere consueffet, quod prægrandi ponderosoq; acinace tam validè, quàm peritè vteretur, quo medios hostes ad vmbilicum profcindere, transuersos diuidere soleret; & sæpe per ceruices integros cum humeris brachiorum artus facilè detruncaret. Quorum immanium vulnerum truculentiam, hostes, qui ex prælijs euasissent, cum Bizantij in aula, admirantibus cunctis enarrant, Machometes ipse, illum potentis dexteræ inusitataq; violentiæ gladium videre cupiuit impetrauitque facilè à Georgio, vt sibi Byzantium mitteretur. Talem namque eius esse temperaturam prædicabant, vt eius ictum nulla vel ferrea corporum munimenta sustinerent. Aiunt alij, cum Machometi nunciari iussisse; *mittere se quidem gladium suum illi, non item dexteram suam, sine qua gladius nihil posset.* Tanta autem inusitatae virtutis eius viri fama erat, vt Turcæ, post mortem eius, potiti Epiro, sepulchrum ipsius, apud Lissum, quærerent, admirabundiq; vsque adeò
piè

piè venerarentur, vt eruta demum sepulchro tanti herois ossa non sine superstitione diriperent, cum quisque se bello inuictum tutumque fore crederet, si frustulum ex ossibus inuictissimi Imperatoris in amuleto è ceruicibus suspensum iturus in prælium gestaret. Hæc pleraque Iouius, Barletus scribit, prælium inuito, præter cetera mirabilia mutati vultus signa, ei labrū inferius scindi solitum cum copia multa sanguinis. Defunctus est hic heros anno ætatis LXIII. Christi MCCCCLVI. die Ianuarij XXVII.

Barlet.
lib. 8. de
vita & ei-
us gestis.

§ XV.

Deo non secus ac Aureliano, ob fortitudinem, laudes dicendas.

Horum talium vel immanitas corporis, vel animi magnitudo, ostendit, quanta sit Dei magnitudo. Herculem enim, & Orionem, ob talia, ad sidera vsque transtulerunt. *Quorum si specie delectati, deos putauerunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creatura, cognoscibiliter poterit creator*

Sapi. 13.30

L

horum

horum videri. Qui proinde in illis etiam
 est laudandus. Et vtique artificem laudat,
 qui opus illius laudat. D. Aurelianum, me-
 morat Flavius Vopiscus statura procerum,
 & nervis validissimis fuisse, vtiturque te-
 stimonio Theoclij, manu sua, bello Sarmat-
 tico, vna die quadraginta & octo interfe-
 cisse; diuersis autem diebus, vltra non-
 gentos quinquaginta. Ob quam fortitu-
 dinem pueri in Aurelianum cantiunculas
 composuerunt, & choros, quibus, diebus
 festis, militariter saltitarent, in hunc mo-
 dum instituerunt. *Mille, mille, mille; mille,
 mille, mille decollauimus. Vnus homo mille,
 mille, mille, mille decollauimus. Mille, mille,
 mille viuat, qui mille, mille occidit. Tantum
 vini habet nemo, quantum fudit sanguinis. Et
 cum Francos deinde domuisset, denuò
 cecinerunt. Mille Francos, mille Sarmatas
 semel occidimus. Mille, mille, mille, mille, mil-
 le Persas quarimus.* Ad eundem ritum olim,
 cum reuenteretur percusso Philisthaeo David,
 egressae sunt mulieres, de vniuersis urbibus
 Israel, cantantes chorosq; ducentes in occur-
 sum Saul regis, in tympanis letitia, & in si-
 stris. Et praecinebant mulieres ludentes atq;
 dicentes: *Percussit Saul mille, & Dauid de-*

1. Reg. 18.
6.

sem millia. Quæ laus, cum homini daretur, Deo & Domino exercituum data est. Qui enim agnoscunt, unde veniat fortitudo, clamant: *Gladius Domini, & Ge-* *deonis.* O quam ingrati, & quam horum immemores sunt, qui multos audiunt præclaros in bello viros, & factis verè gigantes, insignia facinora edidisse, neque tamen idcirco Deo laudes gratesque dicunt! Quid in parvis facient, qui neque corpora, neque facta magna nôrunt æstimare? Aliter ille censuit, qui dixit: *Dominus fortitudo plebis sue;* & alter: *dedit Dominus ipsi Chaleb fortitudinem.* Quam quia Deus dat, à Deo petere; & si dedit, Deo in acceptis referre debemus, neque de corporis proceritate, statura, viribusq; insolescere; ne donis illum suis offendentes, ad iram & vindictam prouocemus.

§. XVI.

Dei potentia, contra potentes, ostensa.

Quippe etiam in his potentiam suam facit manifestam, vt dicere debeamus: *Non est fortis sicut Deus noster; coram quo, gigas non saluabitur in multitudine virtutis sue.* Ita enim potens est, vt potentes deponat de sede sua, & excelsos hos possit humiliare.

L 2

Magnus

Iudic. 7.
20.

Psal. 27. 8.

Eccli. 46.

11.

1. Reg. 2. 2.

Luc. 14.

Baruch. 3. *Magnus est, & non habet finem; excelsus &*
35. *immensus: Ibi fuerunt gigantes nominati illi,*
qui ab initio fuerunt, statura magna scientes
bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam
discipline inuenerunt; propterea periêrunt.
Demonstratū est hoc in illis, qui dixerunt:

Gen. 11. 4. *Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim,*
cuius culmen pertingat ad celum, & celebremus
nomen nostrum. Sed diuinit eos Dominus
ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt
adificare ciuitatem. Ex qua historia Poëta
fabulam texuerunt, de terrigenis giganti-
bus, qui regnum cæleste affectârint, & ten-
târint Deos inde detrudere. Apud quos
coniurati celum rescindere fratres,

Virgil. l. 1
Georg.

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atque Ossa frondosum imponere
Olympum.
Ter pater extructos deiecit fulmine
montes.

Fingunt etiam, huius rei causa, Deos omnes mutatis formis delituisse,

Emissumq; ima de sede Typhoea terra
Cœlitibus fecisse metum, cunctosq; dedisse
Terga fugæ.

Donec ad Phlægram

Ouid. l. 1.
Metam,

Iuppiter omnipotens misso perfregit
Olympum *Fulmi-*

Fulmine, & excussit subiectum Pelion
Osse;

Sepultaque sunt totis montibus dira per-
iurissimorum mortalium corpora. Ac ut
appareret, potentes potenter tormenta
passuros, (*Fortioribus enim fortior instat*
cruciatio)

Sapi. 6. 9.

Fama est, Enceladi semustum fulmine
corpus

Virgil I 3.
Æneid.

Urgeri mole hac: ingentemq; insuper
Aetnam

Impositam, ruptis flammam expirare
caminis;

Et fessum quoties mutat latus, intreme-
re omnem

Murmure Trinacriam, & calum subte-
xere fumo.

§. XVII.

Impij Gigantes fulminati.

Hæc quidem fabulæ, quæ docent, su-
perbos alijsque sceleribus coopertos, vel
dignos esse, qui diluuiò obruantur, ut dici

possit: *Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui*
habitant cum eis: vel etiam tota terra, ad
hunc modum, in inferno sepeliendos, ubi

eos formidabilis illa sententia, *Discedite à*
me, maledicti, fulminabit. Quid aliud con-

Iob. 26. 5.

Matth.
25. 41.

4 Reg. 1. tigit militibus illis, quibus Elias dixit: Si
19. homo Dei sum, descendat ignis de caelo, & de-

uoret te, & quinquaginta tuos? Et, vt hi-
storij rem confirmemus, Legimus, inquit

Leonard.
Lefsius
lib. 13. de
perfect.
diu 6. 7.
post Jo-
seph. 2
Costa l. 1.
c. 19. de
nat. noui
orbis,

Leonardus Lefsius, etiam in historia Peru-
ana, gentem quamdam gigantes magnitudinis
huic flagitio (Sodomitarum) deditam simili
modo igne caelesti fuisse absumptam: descendisse
enim e caelo specie visibili iuuenem instar solis
splendentem, qui fulminibus superne in eos vi-
bratis omnes deleuerit; ita ex traditione maio-
rum narrare incolae, & etiamnum reperiri
vestigia adustionis, tum in saxis, tum in ossibus
eorum, qui extincti. Et nostra memoria in
Pegu Indiae Orientalis, cum populus esset innu-
merabilis, & aliquot millionibus capitum cen-
seretur, varijs cladibus ad maximam pau-
citatem est reductus: cuius causa non videtur
alia, quam quod huic sceleri praeceteris popu-
lis fuerint addicti. Quod si Deus istud pecca-
tum adeo seuerè in infidelibus illis, eius justitiam
& praeccepta ignorantibus, vindicauit,
& in ipsa vindicta tot ira suae vestigia impressa
reliquit: quid expectandum Christianis, qui
post tot beneficia diuinitus accepta, post notitia
diuinae voluntatis, post tot ultionis exempla ab
illo non abstinent? Tanta profecto eos manet

terreno

tormentorum acerbitas, ut acrimonia supplicij
Sodomorum illius comparatione leuis meritū
videri possit, si iusto examine pensitentur.

§. XVIII.

Milonis fortitudo quo modo superata?

Ne porrò istiusmodi homines, aut ob
immanium corporum pulchritudinem &
amplitudinem, aut ob robur ac vires suas
insolescant & superbiant, & ipsi cælo arma
inferant, alijs etiam modis diuina prou-
identia tales aut deiecit, aut extirpauit.
Milonem Crotoniatam tradunt, egisse Czilius
l. 5. c. 26.
omnia super quàm homo valet. Dum con-
stitisset, nemo eum è vestigio educebat.
Målum tenenti nullus digitis poterat ex-
torquere. In Olympia bouem per stadium,
retento anhelitu portauit, quem ictu nudæ
manus, strauit, victimamque fecit; eum-
que solidum, qua mactauerat die, solus
non grauatim, & sine nausea absumsit,
ne pugno fortior, quàm stomacho videretur.
Hic tamen tam nervosus athleta, ut Idem Czilius
lib. 11. c. 69.
sciret aliquem se in mundo existere forti-
orem, Titormus bubsequa, procerò corpo-
re, & portentosis viribus, famam robusti
habuit. Voluit Milo oculis experiri, an
famæ res ipsa responderet. Eo igitur præ-
sente,

sente, Titormus in Euenum descendens permagnum arripuit lapidem, quem ad se protraxit, & inde rursus propulit, bisque & ter hoc ipsum effecit: postea erexit, erectumque; & humero impositum ad quinquaginta vlnas transportauit. Hunc autem lapidem vix emouebat Milo. Aliud postea roboris sui argumentum exhibuit Titormus, Maximi enim tauri pedem corripuit, furentemque; & inde proripere se cupientem constantissimè retinuit. Quod videns Crotoniates: *O Iuppiter, inquit, an alterum nobis profeminasti Herculem hunc?* Multum valet ad supercilium ponendum, habere parem; plurimum autem videre superiorem. Sed non victa est vis Milonis ab homine tantum, superata est & ab arbore.

Iuuen.
Satyr. 10.

Viribus ille

A. Gell.
l. 14 Noct.
c. 16.

Confusus perijt admirandisque lacertis. Itã ad eò ipsa illi exitio fuit firmitatis suae confidentia. Gellium audiamus. Milo, inquit, Crotoniensis athleta illustris, quem in chronicis scriptum est, Olympiade prima coronatum esse, exitum vitae habuit miserandum & mirandum. Cùm iam natu grandis artem athleticam desisset, iterque faceret fortè solus in locis Italiae siluestribus; quercum vidit proxime

proximè viam patulis in parte media ramis
hiantem. Tum experiri, credo, etiam tunc
volens, an vlla sibi reliqua vires adessent, im-
missis in cauernas arboris digitis, diducere, &
rescindere quercum conatus est, ac mediam
quidem partem discidit, diuellitq;. Quercus
autem in duas diducta partes, cum ille quasi
perfecto, quod erat connixus, manus laxasset,
cessante vi, redijt in naturam: manibusq; eius
retentis inclusisq;, stricta denuo & cohesa di-
lacerandum hominem feris prabuit. Quàm
bene huic dictum fuisset? Fortiora te ne
scrutatus fueris.

Eccli. 3.
22.

§. XIX.

Maximini fortitudo & superbia deiecta.

Quemadmodum autem gigantes isti,
aut fortes ab hominibus metuuntur, ita
& ipsi supra se habent Deum, què debent
metuere; & ad quem nos possumus ab illis
pressi confugere, exemplo illius, qui di-
xit: Omnia ossa mea dicent, Domine quis si-
milis tibi? Eripiens inopem de manu fortio-
rum eius: egenum & pauperem à diripientibus
eum. Hac de caussa Iacobo Patriarchæ in
Ægyptum proficiscenti dixit: Ego sum
fortissimus Deus patris tui: noli timere, de-
scende in Ægyptum. Ego Pharaones in mea

Psal. 34.
10.

Gen. 46.

L 5

habeo.

habeo manu; possum eos tibi placare; possum fluctibus operire. Pari pacto in fortibus alijs, ac robustis, immò in ipsis gigantibus opprimendis potentiam suam exercuit. Ex Iulio Capitolino didicimus alijsq; historiarum scriptoribus, Maximinum tyrannum Alexandri Seueri optimi Imperatoris interfectorem & successorem, ea proceritate atq; robore fuisse, vt octo pedes digito egrederetur; pollice ita vasto, vt vxoris dextrocherio annuli vice vteretur. Quin etiam hamaxas manibus attrahere; equis pugno dentes soluere; calce crura frangere; lapides tophicuos digitis friare; arbores minus annosas dirumpere posset. Qua de causa ab alijs Milo Crotoniates, ab alijs Hercules, Antæus à nonnullis est appellatus. Ob hanc tam grandem corporis staturam & militare robur peritiamq; pugnandi, affirmat Herodianus, eum ad imperium asecitum esse. Sed magna est virtus, Dei donis uti posse. Maximinus iste, iste Hercules, & Antæus, viribus in tyrannide abusus, ita mox plebisq; inuisus fuit, vt illum alij Cyclopem, alij Busiridem, alij Scyronem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem vel Gygem appell-

pellitarent. Itaque non crudelitatem tantum, verum etiam stultitiam & superbiam cum potentia coniunxit. Erat enim illi persuasum, nisi crudelitate, imperium non teneri; quæ tyrannorum est sapientia. Accessit stultior superbia, Neq; enim, ait Capitolinus, fuit crudelius animal in terris, omnia sic in viribus suis ponens, quasi non posset occidi. Adeo nimirum mortalium oculos tumor excæcat, ut naturæ atque conditionis suæ obliuiscantur. Sed docuit luculenter diuina manus, eum qui sibi immortalitatem promiserat, mori, & occidi posse, Immò docuit & Poëta, qui, illo præsentem, in theatro, Græcos versus recitauit, quorum hæc erat sententia, *Qui ab uno non potest occidi, à multis occiditur. Elephas grandis est, & occiditur. Leo fortis est, & occiditur. Tigris velox est, & occiditur. Caue multos, si singulos non times.* Vates fuit Poëta: nam quod dixit, accidit. Postquam enim Maximinus Aquileiam diu, magnis viribus, sed irrito conatu, oppugnauit, more ferarum, quæ vulneratæ magis efferantur, crudelior erga suos milites euasit. Illi itaque immanitatis impatientes, eum vnà cum filio trucidauerunt. Potuit ergo occidi, &

di, &

di, & occifus est, qui voluit tot occidere.

1. Reg. 2. Sic arcus fortium superatus est. Quin saepe
4. etiam citò superatus est.

§. XX.

C. Marij vis, honor breuis & vana
dignitas.

Trebell.
Poll. in
hist. 30.
tyrannor.

C. Marius, tempore Gallieni, à militibus ex fabro ferrario Imperator factus est. Fuit is tam robusti corporis, vt Trebellius Pollio scribat, *Nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendū fortiores fuisse, cum in digitis nervos videatur habuisse, non venas.* Fertur enim & plaustra venientia digito salutari repulisse; & fortissimos quosq; digito ita afflixisse, vt non secus ac querni ligni, vel clavis ferreae ictu percussi dolerent. Multas res collisione duorum digitorum contriuit. Tam firmus ipse fuit. Quàm autem firmum illius imperiū? Prima die factus est imperator, secunda visus est imperare; tertia desijt & imperare, & viuere, occifus à milite illo, qui eius quondā, in fabrili officina operarius fuit; nec sine scommate; vnā enim & dictum hoc accepit: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Dicitur igitur de hoc tridvano Imperatore potest, quod M. Tullius de Consule

Vatinie

Vatinio iocosè lufit; Eo nimirum Imperatore, magnum ostentum accidisse, nam nec brumam, nec ver, nec astatem fuisse. Hæc Numinis non solùm potentia, sed etiam prouidentia est, vt tyrannos & tollere è medio possit, & non sinat esse diu, ne diu tyrannicè dominantur. Hoc enim de eo dictum est: *Non dabit in aeternum fluctuationem iusto. Tu verò, Deus, deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Plura qui eiusmodi vult exempla, librum peculiarem Ioannis Cassionis de Gigantibus, Thomam Fazellum, quin & Philippum Camerarium ad eat, vnde locuples huic argumento materia est suppeditata. Illud hoc loco, è D. Augustino etiam atque etiam animaduertendum est, Deum quosdam interdū homines tam vastis corporibus nasci voluisse, vt nobis videlicet testatum relinqueretur, tam pulchritudinem corporum, quàm etiam staturæ magnitudinem viresque carnis non esse in bonis præcipuis ponenda, cùm ea non minùs impijs, quàm pijs sint communia. Robur igitur animi, & mentis virtus, quæ apud impios non reperitur, est magnis lacertis anteponenda. Neq; quidquam

Pfal. 54.
24.

Tho. Fazell. loc. cit.

S. Augustin. l. 15.
de ciuit. Dei c. 23.

quam contra naturam, aut naturæ authorem conqueri potest, si cui statura ingens, aut virium negata est magnitudo, cum nulli negatum sit, quod maius est, virtutem possidere.

§. XXI.

Polydamas alter Samson quo modo appressus?

Deniq; , ne illi etiam ipsi, quibus à Deo datus est membrorum valör, existiment se omnia posse, atq; vt inde etiam ceteri minorum gentium homuli multò magis suã agnoscatit imbecillitatem, declarat diuina sapientia, etiam illas ipsas exoticas mortalium vires, alio fine dätas, multis esse in exitum, quia sunt in præsumptionem. Sicut enim vino, auro, ingenio, alijsque à Deo donis acceptis, ita & viribus corporis abutuntur. Fit igitur erga eos iustissimè fœterus, erga quos ingratos fuit munificus. Polydamantem athletam Græcorum monumentis proditum est, velut Samsonem aliquë, inermi manu, in Olympo monte, insolitæ magnitudinis leonem confecisse. Memorant eundem etiam in armenta bouum intrasse, & inibi taurum magnitudine insignem altero posteriorū pedum arripuisse, ferocientemque, & præ-
rabido

Calius
l. 7. c. 56.

rabido impetu proflientem, non dimisisse prius, quam in eius manu vngulam reliquerit. Scribitur etiam quadrigas tota vi concitatas constantissime retinuisse. Qua fortitudinis fama permotus rex Darius, Artaxerxis filius, virum magnæ mercedis pactione Susa pellicuit. Eò cum venisset Polydamas, tres omnium Persarum fortissimos, qui vnà ex prouocatione arma susceperant in aduersum, solus contrucidauit. Cui inusitato robori confidens, dum fortè fortuna, cum aliquot alijs in spelunca recumberet ad mensam, conuulsusque supernè scopulus ruinam minaretur, & omnes ad fugam impelleret, solus ibidem remansit, fore sperans, vt saxum decidens facilè sustineret, quo tamen oppressus est. Hæc Cælius recenset, de Polydamante, qui Samsonis æmulator veriùs, quàm imitator fuit; ille enim, ruinam in caput suum excitans vicit; iste victus est, dum ruinam voluit prohibere: sed sunt multi tales temeritate, non virtute Atlantes; qui in humeros suscipiunt, quod ferre non possunt, audacia sua opprimendi. His cælestis vindex, qui *superbis resistit*, plagam post plagam infert, & vires vnà cum vita aufert, Lucu.

Iob, 16. 15. luculenter demonstrans, se omnibus gigantibus, gigantem esse validiorem; vt talis dicere cogatur: *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas*; ille nimirum, qui gigantum omnium est fortissimus; & non tantum in minimis maximus, sed etiam maximis omnibus maior esse cognoscitur, quando vel in fortibus, vel in magnis rebus cognoscitur. Vt sunt etiam Balanæ, Orcaë, aliaque monstra marina, quorum quædam dicuntur in oculorum peripheria sedecim vel viginti pedes continere; quæ cum tam magna sint, tamen ab homine domantur & capiuntur. Vnde intelligitur, non modò quàm magni sint, quibus dictum est: *dominamini piscibus maris*, sed etiam multo que magis ille, qui est

Conrad.
Lycosthen. in
chronico
Chronicor. l. 2.
De Prodigijs.

Gen. 1. 28.
Coloss. 1.
16.

Dominus vniuersorum, in quo condita sunt vniuersa, in calis & in terra.



CAPVT.